

ANNUM MDC LXXX
QVADRATIS MAXIME NUMERIS CONSPICUUM

AC ADEO

IN VIRTUTIS, PRUDENTIÆ, FELICITATIS ET CONSTANTIÆ OMINA PRONUM,

INCLYTÆ

ZITTAVIENSIUM REIPUBLICÆ
PATRIBUS CONSCRIPTIS,

REI SCHOLASTICÆ PERPETUIS UNDIQVAQ; PROMOTORIBUS,
FAUSTUM, OPULENTUM, SALUTAREM AC LÆTIFICUM ESSE JUBET,

SIMULQ;

SOLENNEM GRATULATIONEM,

TACITO AC VELVT PRIVATO SCRIPTO ALIOQVIN EXHIBERI SOLITAM,
SVO COLLEGARUMQ; NOMINE

PUBLICE OFFERT,


UT NOVAS AC NITIDIORES

TYPOGRAPHIÆ PRIMITIAS

IN PRÆSAGIUM FELICISSIMÆ NOVITATIS,
QVIN ET IN OPTANDI ARGUMENTUM,

PROCVRASSE TESTETVR


CHRISTIANUS WEISE, RECTOR.



ERgo novis Typographia Formulis,
Votiva nostra sublevavit carmina,
Strenamq; fervens publicat Scholasticam?
Sic est. Typos dum pervenire tardius
Qverela sæpe computat molestior;
Mox incipit lenta hæc placere tarditas,
Et gratulatur ipsa Gratulatio,
Novas Patronis imminere Litteras.
His nempe si debentur elegantia,
Quas nervus unquã possidet scribentium;

Suis typi respondeant nitoribus,
Ut eruditam conferant nigredinem,
Quæ candidos Zittæ dies semper notet,
Ac albicantibus nitescat fortibus.
Eheu satis nigrescit Alma Curia,
Nec Funerum lacrymabiles Quinarios
Correxit hæctenus novella Faultitas!
Jacuere sub prelogementes formulæ,
Quas sæpius turbaverant Epicedia,
Calamitatis atra testimonia.

Sed fata nunc meliora Januarii
Lætantibus lucem dedere capsulis,
Bona verba quæ promant ferenda Patribus.
Gratabimur, benigna seu Panegyris,
Seu Nuptiarum nobilis solennitas,
Seu Nominalium decus redeuntium,
Seu quæ favebit gaudiis occasio,
Scriptoribus promptū dabit Typographū.
Confirmet omen ominum pius Arbiter,
Annumq; lux coronet octogefimum.



TYPIS MICHAELIS HARTMANNI.